


Atem memoratu est, quantū honoris vetustas iis attribuerit, qui humano victui vel industria, vel cura, vel ope priuata consuluisse. Liuius autor est, auratā bouem extra portam Trigeminam Minutio Auguri positam à populo collata stipe, quòd farris preciū intimis nundinis ad assem redegisset. Farre enim victitasse populū Rom. per CCC. annos ab Vrbe cōdita, Verrius Flaccus prodidit.

A Pud Persas barbara cerimonia bos fronte in leoninā faciem conformata, ex antro cornibus arreptus educebatur ad sacrificium: de quo Papinius:

TERRA FRVGIFERA.



Indignata sequi torquentem cornua mitram.
quippe cū taurus plurimū terrenum animal sit, terræ & inferis potestatibus damnatum, Soli tamen ab ea gente dedicatus, vim eam ostendere videbatur, quā Sol in vniuersam terrā exercet, Quòd autem extraheretur

B ex antro, delitescere vim eius in terræ visceribus indicabat, quam vt euocarent, & frugum feracitati consulerent, sacrificij genus id instituerunt. de quo etiam in Leone. Neq; quidem alia de causā bouem quādā ab

Argo tot luminibus prædito custoditam fabulantur, nisi vt terrā ipsam ostenderent noctu ab ipso cœlo tot stellarum luminibus insignito non indiligenter obseruari, donec à Mercurio, quippe à Sole cōficiatur, cui' oriente iubare stellarum lumina passim extingui videantur. Quid autem aliud portendere visus est bos ille arator, qui decusso iugo triclinium, in quo cenabat Vespasianus, irrupit, ac fugatis ministris quasi repente defessus procidit ad ipsos accumbentis pedes, ceruicemq; summisit, nisi terrarū orbē amarissimo Vitellianæ dominationis iugo pressum, opem à gente Flauia deprecari, quæ iam rerū esset potentura? Terram itaque bos eo ostento præ se tulit.

Bouis portentum.

OPIS IMPLORATIO.

CHæc autem opis imploratio per bouem facta, adducit in memoriā alteram Scytharū more bouillo interueniente corio factā: apud eos enim opis & auxiliij imploratio fieri solebat maçtato boue, in corio cuius, qui opē sibi afferri ab amicis posceret, reiectis in tergum manibus selesitabat: qui verò auxilium pollicerentur, dextero pede coriū calcabant. profati quantū præstare possent: quem morem latè scribit Lucianus dialogo de amicitia, cui titulus Toxaris. Et quod ab hoc fertur de Homolottorum sacrificio, qui foedera sancientes bouē in munitissimas partes dissectabant, etiamnum durat apud eosdē Scythas, qui orā inter Tanaim & Phasim accolunt, nunc Cercalsios appellatos: eos nōnulli Ziccos esse volunt: hi autem si grauem aliquā iniuriam acceperint, imploraturi amicorum auxilium bouem maçtant, pelleq; detracta, & humi distenta, in eaq; sedentes, carnibus bouis in minutissima frustra diuisis, partē vnicuiq; aduenienti porrigunt: quiq; accipiunt, ita se eo foedere deuinctos intelligunt, vt se, fortunasq; suas omnes parati sint exponere pro amici, qui viscerationem hanc fecerit, iniuria vindicanda.

FRVGVM OPVLENTIA.

QVi verò boues iuncti in numo Vespasiani iam Imperatoris & Cos. v. habentur, atq; alij similiter iugati in C. Marij C. T. numo, nimirum aratio-

Bos in Vespasiani & C. Marij C. T. numo.